B. N. C.
FIRENZE
1125
22

1125.22

Digitized by Google

1125.22

SERENISSIMI

FERDINANDI SECVNDI

MAGNI HETRVRIÆ DVCIS

Auguſtiſſimis ſub Auſpicijs

Has Naturalis Philoſophiæ, ac Medicinæ Theſes, publicè defendendas proponit.

Ioannes Saluius Lucinianenſis, Almi Collegij Ducalis Alumnus, Accademicus Rudis, & in Piſano Lycæo Philoſophiæ. Lector Extraordinarius.

AI-1

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

Piſis, Typis Amatoris Maſſe & Laurentij de Landis
Superiorum Permiſſu. 1645.

SERENISSIMO

FERDINANDO II.

MAGNO HETRVRIAE DVCI

Ioannes Saluius Lucinianenſis

Q. P. F. P.

NATVRALIS *Phyloſophiæ interprætandæ perfunctus munere in Palladis Arenam deſcenſurus ibique conſerturus ingeniũ, SERENIS* FER*DINANDE, tutelare numen aliud mihi implorare nõ auderem niſi S.C.T. Cuius benignitate, atque pietate tamquam Miltyadis Clypeo tectus ſoſpes euaderem, niſi me Tua nimis deterreret Maieſtas, Cuius ſplendidisſimum Iubar, Heroicarum omnium Virtutum Orbem abſolutisſimum, totum Terrarum Orbem in ſui admirationem, atque venerationem trahens, imbecilla mens (vti noctuæ oculus) nequit perferre Hæc dum fluctuanti mente peruoluo, continuò ad S C T. vltrò, humillimè tamen, mea confugit Phyloſophia, lucem noſcere omninò deſperans, niſi Tuæ inclitæ benignitatis, atque pietatis illi affulgeant radij. Quamobrem ingentiori quò posſim animi cultu obſecro C. T. vt hiſce Naturalis Phyloſophiæ, Medicæq; Facultatis floſculis ſe coli Tua non dedignetur humanitas; quà mihi per*

pluresannos bonas artes in Almo Ducali Collegio excolere, planè Munificentiſsimè datum fuit; Meaque propterea ſtudia Tuo Soli Magno Nomini deberi dum æquidem agnoſco, ita obſequens ad S.C.T. Aras ſacrare haud vereor, muneris nimirum hac exilitate præſtans, quod erga Deum ſolemus, ei thura, lac, molamue etiam ſalſam reddentes; cui quod viuimus, & ſpiramus totum debemus. Vale.

D.D.

1 De rebus naturalibus dari ſcientiam non negamus; eiuſq; Subiectum Ens Mobile ſtatuimus.

2 Rerum naturalium Principia ea ſunt, quæ non fiut ex alijs, neque ex alterutris, & ex illis omnia.

3 Materia eſt pura potentia nullum exiſtentiæ actum includens; quæ ideo per ſe nequit exiſtere, & cognioſci, ſed per Formam.

4 Forma (quæ Diuinum quid, bonum, & appetibile eſt) rectè prima rerum perfectio dicitur: Eiq; Priuatio contraria exiſtit; quam vnã ſubiecto cum Materia aſſerimus; formaliter tamen diuerſam.

5 Natura eſt principium motus, & quietis, eius in quo eſt primo, & per ſe, & non ſecundum accidens: quæ magis de Forma dicitur, quam de Materia.

6 Motus eſt actus entis in potentia, quatenus in potentia eſt; & omne quod mouetur ab alio moueri neceſſe eſt.

7 Tempus eſt numerus Motus ſecundum prius, & poſterius: Vtrum verò humana mente non exiſtente ceſſet tempus, problematicè diſcutiemus.

8 Locus eſt vltima ſuperficies Corporis continentis, immobilis primò: locum aliquem extra Vniuerſum dari negamus.

9 Infinitum (quod ſecundum ſe ignotum eſse dicimus) ſecundum extenſionem, & multitudinem non dari pro comperto habemus.

Ex lib. de Cælo, & Mundo.

10 VNiuerſum perfectum eſſe aſserimus:

11 Cælum ingenerabile quidem, & incorruptibile exiſtimamus; compoſitum tamen ex materia, & forma defendemus.

12 Habet etiam naturam, cui verè competit pręfata definitio ex Phyſicis.

13 Materia Cæli a ſublunarium materia rectè ponitur diuerſa.

14 Corporis ſimplicis vnicus eſt ſimplex motus.

15 Si verę ſunt obſeruationes Mathematicorum de motu trepidationis, & Stellarum fixarum, verſus Orientem, vndecim Cæli ſunt conſtituendi.

16 Quorum decem ob motuum multiplicitatē, vndecimus autem ad quietam Manſionem Beatorum.

17 Aliter tamen enumerantur ab Ariſtotele, quia nec duos prædictos motus obſeruauit, nec Manſionem Beatorum cognouit.

Ex

Ex lib. de Gen. & Corrup.

18 GEneratio eſt Mutatio totius in totum, nullo ſenſibili remanente, vt ſubiecto eodem.

19 Cuius ſubiectum primam materiam ſtatuimus.

20 Dari in corruptione ſubſtantiali reſolutionem vſque in materiam primam ſubſtinemus.

21 Generatio vnius eſt Corruptio alterius.

22 Alteratio eſt Motus ad qualitatem, qui inter contrarias qualitates perpetuò verſatur.

23 Omne agens agendo repatitur.

24 Mixtio eſt Miſcibilium alteratorum vnio.

25 Vtrum Elementa remaneant in Mixto.

26 Qualitates primæ non ſunt principia Elementorum.

27 Elementi prædominantis motu, mouentur mixta.

Ex lib. Metheor.

28 MAteria impræſſionum Metheorologicarum eſt vapor, & exhalatio.

29 Vapor eſt quidam ſubtilis halitus, qui ex humore aqueo prouenit virtute Solis, & Aſtrorum eleuatus: Exhalatio vero ex Terra educitur.

30 Vapor, ex quo fiunt rores, & pluuiæ, non adſcendit vltra mediam Aeris regionem: Exhalatio verò, ex qua venti, tonitrua, fulmina, cometæ, & ſimilia fiunt, etiam ad tertiam, & ſupremam adſcendit.

31 Cauſa efficiens per ſe impreſſionum Metheologicarum eſt virtus Solis, Aſtrorum, & cęterorum corporum Cæleſtium: Cauſa vero per accidens eſt Antiperiſtaſis, ideſt circumobſiſtentia contrarij.

32 Cometarum materiā credimus ſublunarem, ſcilicet exalationem calidam, ſiccam, craſſam, & bene condenſatam, aptam vt incendatur;

33 Propterea Cometas omnes ſub Cælo apparuiſſe ſubſtinendum eſt.

34 Concoctio eſt perfectio a colore natiuo, & proprio ex oppoſitis paſſiuis: Quæ in Animali quadruplex neceſſario fit, pro rectè nutritionis actione perficienda.

35 Cur autem caro, quæ calida, & humida eſt, ſi cruda ingeratur concoctu difficilis ſit; Lacticinia verò, horariæq; fruges, idq; genus alia, frigidæ, & humidæ temperiei, cruda intra Ventriculum ingeſta facile concoquantur, cauſam aſſignabimus, & defendemus.

Ex

36 ANima eſt actus primus Corporis Phyſici Organici, potentiâ vitam habentis: Et id quô primo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus.

37 Quæ, ſi fuerit Animalium perfectorum, indiuiſibilis eſt, ac proindè tota in toto Corpore, & tota in qualibet parte: In Corde tamen primo, & principaliter reſidet.

38 Tres ſunt in vniuerſum ſpecies Animarum, Vegetatiua, Senſitiua, & Rationalis; ab earum tamen vnâ Corpus animatum informari dicimus.

39 Partes Corporis fluidæ, vt humores, ab Anima non informari pro comperto habemus.

40 Anima non immediatè operatur, ſed Medijs quibuſdam potentijs, quæ ab ipſa realiter diſtinguuntur.

41 Animæ potentiæ ſiuè internę ſint, ſiuè externæ ab actibus, & obiectis ſpeciem, & diſtinctionem ſumunt.

42 Vtrum ſenſus Viſus per intromiſſionem, vel extramiſſionem fiat, in dubium reuocamus, vtramq; partem defenſuri.

43 Animæ rationalis propriæ, & perfectiſſimæ potentiæ ſunt Intellectus, & Voluntas; qua-

rum prima fertur in Verum, tamquam in obie ctum; ſecunda verò in Bonum.

44 Nobilior autem eſt Intellectus.

Ex Medicina Theorica.

45 MEdicina eſt Scientia, quâ humani Corporis diſpoſitiones noſcuntur, ex parte quâ ſanatur, aut a ſanitate remouetur; vt habita Sanitas conſeruetur, & ammiſſa recuperetur.

46 Temperamentum eſt Qualitas compoſita ex primis Elementorum qualitatibus, e primâ illorum mixtione conſurgens.

47 Nihil reperitur rê verâ Temperatum, ſiuè (vt dicunt) Æquale ad Pondus; verùm Intemperatũ; Simplex alterũ, idq; quadruplex, Calidũ, Frigidum, Humidum, Siccum; Alterũ vero Cõpoſitũ, pariter quadruplex, calidum humidum, calidum ſiccum, frigidum humidum, frigidum, ſiccum.

48 Humorum (qui Humani Corporis proxima materia ſunt) calidiſſimus eſt Sanguis: Qui tamen ſit ne naturâ calidus in dubium à nobis reuocatur.

49 Vtrum Sanguis ſit Pituitâ humidior.

50 Humani Corporis temperamentum calidum, & humidum eſt: eademq; ſingulæ partes illius præditæ ſunt temperie.

51 Pue-

51 Pueritia ſit ne calidior, & ratione tempera-
méti præſtantior ad actiones obeundas Iuuen
tute, in dubium reuocamus, vtrique parti ſa-
tisfacturi.

52 Homines frigidi ad tactum, calidiores ſunt.

53 Humani Corporis partes Principes tres aſſi-
gnamus, Cerebrum, Cor, & Hepar. Quibus
vtrum addendi ſint Teſtes dubitamus, vtrãq;
partem defenſuri.

54 Vtrum certiores ſint prędictiones in Acutis,
quam in Cronicis Affectionibus.

55 Vtrum omnis Febris Intermittés periculo va
cet.

Ex Medicinâ Practicâ.

56 DIſputant Doctores an Sanorum Corpo
rum conſeruatio facienda ſit per ſimi-
lia, aut per contraria: nos pro vtraque parte
ſtare nón recuſabimus.

57 Certo tamen aſſerimus Morbis contraria, &
æqualia deberi remedia.

58. Cibum ſemel in die aſſumentes praue conſu-
lunt valetúdini; deterius.n. concoquunt.

59 In Victu exiccanti potius Aqua, quam Vino
vtendum eſt.

60 Vtrum febre correptis, Piſces concedendi
ſint in Victu.

61 In

61 In Morbis curandis, vtrum Amuletis, ſiuè Periaptis vtendum ſit.

62 Sanguinis miſſionem non omni febri putridæ conuenire aſſerimus.

63 In Alui fluxu venæ ſectio commodè nonnumquam adminiſtratur.

64 Vtero gerentibus, quocumque geſtationis tempore Vena tuto interdum ſecari poteſt.

65 Venæ ſectioni Hyrudines commodè ſubſtitui poſſunt.

66 Virum Hyrudines, vel Cucurbitulæ e profundioribus partibus ſanguinem proliciant.

Pioblemata, quorum Cauſas aſſignabimus, ac defendemus.

67 CVr editus fœtus, ſi eodem momento iterum in vterum conijceretur, ſuffucatus periret, cum tamen tot Menſibus ibidem concluſus vixerit.

68 Cur corde ita refrigerato, vt cogamur vti calefacientibus internis, & externis cardiacis, adhuc egeamus reſpiratione, ſi reſpiratio inſeruiat remittendæ cordis caliditati.

69 Cur intumeſcat vena infra ligaturam, cum tamen excurrat ab internis ad externa ſanguis.

70 Cur ſola inunctione artuum in carpo manuum ſcabies, & lues venerea remoueatur, cum ho-

rum

rum cauſa ab internis proueniat, & perpetua fiat ad externa euaporatio.

71 Cur dextera pars robuſtior ſit ſiniſtra, cum tamen Cor, fons caloris a quo fiunt operationes, potius Vergat ad ſiniſtram.

72 Cur ſtygmata in fœtibus appareant a fruſtrato Matris appetitur, in ea fœtus parte, quæ ei, quam in ſe tunc tetigerit Mater correſpondet.

73 Cur Melancolici cum ſeroſitatibus ſcateant ſeri aſſumptione & balneo maximè iuuantur.

74 Cur Muſica ſedare poſſit delirium, & dolores.

75 Cur ſubito timore ſedetur ſingultus.

76 Cur delirantes in Morbis ad vitæ extremum redacti admentem redeant.

77 Cur ſanis parentibus genitus ereditarium Morbi ſeminarium ab auo contrahat.

78 Cur Phyltra inducant odium, aut amorem, cum non videantur agere poſſe in animum.

Diſ-

Diſputabuntur publicè Piſis in Scola Magnia Sapientiæ, ſtrictiſſimo diſputandi more ſeruato. Die Hora menſis Aprilis MDCXLV.

Annuente Illuſtriſs., ac Reuerendiſs. Domino D. Ioanne Viſconte, Religionis D. Stephani, Antiſtite Religioſiſſimo: nec non Almi Piſani Lycęi Prouiſore Generali Vigilantiſſimo.

D.D.

D. D. Arguentes erunt.

D. Martinus Bocciantinius a Monte Carolo, Accademicus Rudis.
D. Petrus de Natis Florentinus.
D. Ioſeph Capponcinius a Monte Varchio.
Cæteriq; volentes.

99 961228

Z
1125.22


Mei